DEUS vortat benè!

Consensu Magnifici Domini Rectoris,

Atq;

Permissu Amplissimi Medicorum Ordinis in illustri Academia Batava,

DISSERTATIONEM MEDICAM

De

ARTHRITIDE,

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Nobilissimi, Excellentissimi, atq; Experientissimi,

DN. CAROLI DRELINCURTII,

L. A. M. Phil. & Med. Doct. *Christianissimi Regis Consiliarii & Medici Ordinarii*, nec non *G. M. Principis de Turenna* qvondam Ἀρχιάτρου felicissimi; nunc in *Universitate Præpot. Ord. Holl. atq; Westfr.* Professoris Practici & Anatomici celeberrimi, atqvè dexterrimi,

Domini Præceptoris, Patroni, Promotoris nullô non honoris ac observantiæ cultu jugiter devenerandi,

Publico Φιλιάτρων Examini

In Auditorio Medico, horisq; solitis,

Ad diem XV. Julii Anni τῆς χριστογονίας M. DC. LXXXI.

subjiciet, & respondendo defendere conabitur

Autor

BARTHOLOMÆUS TOBIAS SEIBTIUS,

Gorl. Hexap.

LUGDUNI Batavorum & BUDISSINI,

Literis ELZEVIERIANIS & RICHTERIANIS,

M. DC. LXXXIV.

Σὺν Ἰῷ Θεῷ!

§. I.

HOmo miraculum mundi, ac deliciæ orbis terrarum, germen immortalitatis, microcoſmus, imò megalocoſmus, mundi Dominus atq; Magiſter, * tot tamq; variis obnotius eſt morbis: ut membrum nullum, nullum articulum in eo reperire poſſim: qvi non ſuos patiatur affectus, qvi non Medicorum reqvirat opem. Qvidam tamen ex illis moleſtia majori, majoribusq; ſymptomatibus invadunt: qvos proindè præ aliis diligentiſſimè eſſe conſiderandos, qvivis facilè intelligit. Inter hos autem non ultimum obtinet locum affectus ille gravis, commiſeratione dignus, & curatu celebris, qvi *Arthritidis* nomine apud Practicos venit. Admodùm freqvens ille eſt: maxima mala, maximosq; dolores corpori inducit. Propterea gravem hunc affectum attentiùs examinandum, & de ejus *Hiſtoria, Cauſis, Curatione*, pro ingenioli mei tenuitate, pauca proponere, Philiatrorumq. cenſuræ ſubjicere decrevi.

* Athan. Kirch.

§. II. Ne verò in limine illicò offendam: & qvod Luciano in ore, αἰθιόπα σμηχῶμεν: primò omnium in vocis incunabula inqviram, neceſſe eſt. Cùm non modò Medicorum Pythagoram, (ſicuti Scaligero exerc. 141. diſt. 4. de ſubtil. vocatur) Galenum lib. 3 ſimpl. med. conturbatum vocum uſum & rerum ipſarum cognitionem conturbare, doctè ediſſerentem percipio: ſed etiam μέγα θαῦμα illud, Jul. Cæſ. Scaligerum, hiſce verbis illi adſtipulantem ego: qvando exerc. 359 ait: A nominibus eſſe auſpicandum, qvidqve τὰ ἐν τῇ φωνῇ ἐστι τῶν ἐν ψυχῇ παθημάτων σύμβολα, teſte Philoſopho.

§. III. Illi tamen voci inveſtigandæ non talem impendo operam, qvalem amant: qvi circa omnium vocum nomenclaturam ſcrupuloſiùs verſantes exiſtimant: aut dari primam originem, ut ſi non ſuppetat ſaltem fingendam, aut extorqvendam eſſe. Qvi proindè id magnò conatu agentes, magnas interdùm (ut cum

Comico loqvar) nugas agunt, tam lepida figmenta, talia, inqvam, somnia cadunt ex suo Jovis cerebro: qvalia vix visa iis, qvi in Parnasso somniâsse sibi sunt persvasi. Qvibus non immeritò illum versum Homericum accommodare possim:

Πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων μέσση χίμαιρα:

aut illud monstrum, qvod Ausonius his depingit versibus:

Terruit Aoniam volucris, leo, virgo triformis
Sphynx: volucris pennis, pedibus fera, fronte puella.

Interdum scilicet

Parturiunt montes, nascitur ridiculus mus.

§. IV. Ego cùm ab hac hæresi longissimè absim: nec ingeniô qvicqvam valeam, qvod lepidis illis fabulis ostentare videntur, manum de tabula: ne risum & misericordiam potiùs, qvàm calculum apud Cordatos merear: si qvis tamen *eam* heîc desiderat, ille sciat: ἀπὸ τῶν ἄρθρων *Arthritidem* Græcis dici, & â loco affecto, uti cuilibet â limine Medicorum Musas modò salutanti, haud incognitum esse potest, nomen accepisse; non tam ossium compagem, unionem, extremitatesq; intelligendo; qvàm partes ipsum articulum conjungentes & ambientes: nimirùm membranas, ligamenta membranosa, extremitatesq; musculorum, partibusq; his insertos nervos. Plinio lib. 22. c. 35. lib 23. c. 1. tumor articuli dolorificus, articularius & articulans morbus: & Aret. lib. 2. c. 12. de Chron. morb. signis ξυνὸς ἁπάντων ἄρθρων πόνος, omnium articulorum dolor dicitur.

§. V. Barbari malum hoc *guttam*, sed minus rectè appellant. Medicus qvidem ille Veronensis, Franciscus India de gutt. pod. lib. 1. c. 1. nomen *guttæ* barbarum esse negat, & qvòd sit veluti genericum omnium ægritudinum nomen: qvæ per destillationem in articulis pedum, manuum, coxarum, similiumq; corporis partium producuntur: ideoq; *guttæ* nomen generis nomen mereri. Verùm opinionem hanc qvod attinet, vocabulum qvidem Latinum non barbarum esse fateor: sed id pro *fluxione*, *catarrho*, aut *arthritide* usurpare velle, contra lingvæ Latinæ usum est: & proinde meritò Barbaris accensetur, qvi id pro *Arthritide* usurpat,

aut

aut vocabulo *Arthritidis* præfert. Licet arte medicâ Celeberr. Galenus 6. aphor. 28. scribat: Ferè omnes, qvi arthritica affectione corripiuntur, fieri podagricos: non tamen eô probatur: arthritidis nomen omnium articulorum dolori non convenire.

§. VI. Rectius longè Gvainerius de ægritud. junct. c. 1. inqvit: Ego, cum *artheticam* (ita enim seculi ejus Medici ob lingvæ Græcæ ignorantiam morbum hunc appellabant) ab artu vel articulo nomen traxisse videam, qvibus in locis dolores juncturarum fiunt; omnes tales sive cum tumore, sive non, artheticos appellare volui: qvod etiam Veteres omnes fecerunt.

§. VII. Heic notandum, qvamvis *Podagræ* vocabulum propriè *pedum dolorem* denotet; interdum tamen, ut etiam Crato consil. 253. confitetur, ab uno membro desumta appellatione, pro omni arthritide accipitur. Hinc qvoqve tractatum suum, qvi est de *Arthritide*, Lucianus *Tragopodagram* inscripsit. Itaq;, qvi de podagræ laude scripserunt Cardanus & alii, qvi in Amphitheatro Sap. Socr. Jocoseriæ Casp. Dornavii Ph. & Med. Doctoris, videri possunt, omnes de Arthritide in genere egisse videntur: imò Medicorum qvidam, qvi propriè agunt de *arthritide*, tractatus suos de *Podagra* inscripserunt.

§. VIII. Germani nonnulli morbum hunc vocant **der Herren oder reichen Leute Kranckheit**: qvia, ut putant, raro compertum habetur, pauperes & mendicos arthritide laborâsse: unde arthritis qvoq; θεὰ μισόπτωχος i. e. *pauperes odio habens* nominatur: & in fabula est apud Jov. Pontanum lib. 5. de serm. c. 1. podagram aliqvando peregrinantem in rusculum devenisse: atq; cum ibi casulos inertissimè ædificatas, sqvalidasq; situ, & nihil præter marras, bidentes, rastros & alia rustica vidisset instrumenta, hospitium hoc aversatum fuisse, & in urbe hospitium qvæsivisse. Delatam vero in urbem, ad primum ingressum in officinam fabri ferrarii incidisse, & illam qvoq;, ut sibi incommodam, præteriisse: tandem cum in urbe progressa, ad domum qvandam pervenisset, ante cujus vestibulum choreæ agitabantur atq; convivia, interrogasse, cujus ædes essent? & cum responsum accepisset, eas Otii esse, inhabita-

riq; ab hominibus desidiosis, somnô & vinô macerantibus, è vestigio domum ingressam dixisse: Hæc domus, hæc patria est.

§. IX. Qvidqvid sit, morbus hicce rectiùs à *Belgis* vocatur, *het flerecyn, de Poetjens*, vel *Germanicè* das Glieder-Weh/ die Glieder-Sucht/ das Zipperlein der Gelencke. Experientia enim, rerum omnium Magistra testatur: multos pauperrimæ sortis homines arthritide laborare. Hoc qvoq; observavit Medicus qvidam Iglo-viæ in Moravia: non modò lautioris fortunæ homines qvi vina bibunt, sed & pauperes, qvi vinum vix gustârunt, arthritidi esse obnoxios. Itali per vocabulum *la Gotta*, Galli *la Goutte* exprimunt.

§. X. Verum enim verò ne nimis diu vocabulorum etymologiæ inhæream: deq; ista, utpote parùm ad rhombum faciente, valdè sollicitus sim: rem ipsam potiùs sum aggressurus, dicens: *Arthritidem* esse dolorem articulorum, ortum ex affluxu humoris excrementitii, partes nervosas nec non membranosas per intervalla affligentis, cum tumore, motu voluntario impedito, etiam calore non rarò febrili. Generis locô posui dolorem: qvamvis supra citatus Franc. India eos reprehendat, qvi per dolorem arthritidem definiunt: sed ille crassam committit errorem: dum malum hoc per defluxionem definit. Arthritis enim defluxus non est, sed ex defluxu generatur. Vid. Sennerti Tr. de arth. c. 1. p. 6. Neq; enim commodè, ut alii volunt, per tumorem arthritis semper definiri potest: cum sæpè nullus tumor evidens in partibus externis appareat.

§. XI. Dolor autem ille est vel universalis, vel particularis. Universalis occupat aut omnes, aut quamplurimos totius corporis articulos. Particularis verò certa qvædam membra invadit: undè pro illorum diversitate, diversa sortitur nomina. Qui enim manus afficit, chiragra; qui coxendicem Ischias; qui genua, gonagra; qui pedes excruciat, podagra appellatur. Unde Aretæus l.c. ἄλλα ποδῶν μὺν ποδάγρην καλεόμην δὲ ἰχίων, χειράγρην δὲ χειρῶν. Plura talia vocabula finxerunt qvidam, & inter eos Ambrosius Paræus de arthritide c. 1. si malum in maxillæ articulo fuerit, Syagonagram; si in cervice, trachleagram; si in spina dorsi, rachisagram;

si in

si in humere, homagram; si in cubito, pechiagram nominat. Verùm vocabula illa apud Græcos non occurrunt, nec usu trita sunt.

§. XII. Nonnulli etiam dolorem illum, qui est in dentibus, ad arthridem referunt. Joh. Steph. Strobelbergerus integrum librum de dentium podagra scripsit. Quod tamen nihil aliud est, qvam vocabulis ludere: ac si vellem hepatis inflammationem pleuritidem vocare. Capivaccius meminit cujusdam: qui in latere podagricô laborabat dolore: ob qvem æger diu tergo jacere coactus est: nec latera movere potuit. Magnus Sennertus l. c. de quodam podagrico refert; eum in pene gravissimum percepisse dolorem. Adhuc alii ad arthritidem referunt eum affectum, qui Arabibus Nakir dicitur, quem Albucasis lib. 2. cap. 93. ita describit: Ægritudo hæc in terra nostra vocatur Nakir: & est dolor, qui accidit in quibusdam membris, deindè permutatur de membro ad membrum. Verùm non omnes dolores debent vocari podagrici: sed ii solummodò, qui in articulis fiunt.

§. XIII. Mentagra etiam, cujus Plinius lib. 26. c. 1. mentionem facit, nihil commercii habet cum hoc affectu: cum sit fœda quædam faciei scabies: qvæ primùm Tiberii Claudii Cæsaris medio Principatu, ut Plinius ait, in Italiam irrepsit: quôdam Perusino Equite Romano quæstorio scribâ, cum in Asia apparuisset, indè contagionem ejus importante. Non possum, quin heic etiam obiter moneam: cum vox ποδάγρα componatur ex ποδὸς, & ἄγρα, an non ἄγρα potiùs *mordacissimum serpentem*, quam *capturam*, ut multi volunt, significet? cum dolores illi podagrici sint acutissimi, ac â mordacissimô verme, seu serpente, inferrentur: quô nomine etiam vulgò Demosthenem vocabant, scurrilem quandam mordacitatem in eo notantes, vid. Lamb. ad Od. 19. l. 2. Horatii.

§. XIV. Dolor autem cum symptoma sit; Symptoma verò â morbo, tanquam causâ suâ dependeat; omnisq; dolor â duobus morborum generibus producatur, intemperie scilicet cum vehementia agente, & unitatis solutione, vel ab utroq;: jam porrò videndum: an ab intemperie sola, eaq; simplici, vel cum materia, vel â sola unitatis solutione, vel ab utroq;, dolor suum ducat ortũ?

Sola

Sola simplex intemperies, etsi articulos ad arthritidem generandam disponere & aptos reddere possit: ut prompte materiam recipiant; tamen per se arthriticum dolorem nunquam producere potest: quamvis hoc demonstrare vult Godofredus Steeghius med. pract. lib. 13. c. 12. Verùm dum in eo laborat, ipse non animadvertit; se non de sola simplici intemperie loqui, sed de tali, quæ partes contrahit, divellit, mordicat. Dum enim primarum qualitatum causandi vult rationem ostendere; in hæc erumpit verba; Scimus siccitatem contrahendo partes continuas divellere, calorem tum per siccitatem *corrugando*, tum *mordicando*, frigus etiam esse mordax, & constringendo, unas ab aliis distrahere. Quis non videt? hanc agendi vim, dum simplici intemperiei tribuere satagit, simul iis adjungere & in auxilium vocare *unitatis solutionem*.

§. XV. Nec ea intemperies, cui materia est juncta, per se hunc dolorem creare potest. *Tumor* enim ut talis, *dolorem* non gignit: alioquin omnis tumor haberet dolorem comitem, quod falsum. Nec sola unitatis solutio arthriticum generat dolorem: cum in foro Medico ille demùm dolor verè arthriticus sit; qui â *Causa interna* & quidem ex intemperie, vel materiæ affluxu, juncta partium dissolutione, ortum trahit. Ubi itaq; intemperies, illud imprimis, quæ est cum materia, eâ ratione agit in articulos: ut earum partes membranosas & nervosas divellat aut comprimat & vellicet: dolorem oriri necesse est.

§. XVI. Duo igitur morborum genera, ad arthritidem procreandam concurrunt, *intemperies* nempè & *unitatis solutio*. Quænã materia proxima hunc dolorem pariat, adhuc est controversum. Nonnulli enim ex omnibus humoribus, etiam ex sanguine, hunc affectum ortum ducere putant: â qua sententia haud alienus esse videtur divinus Senex noster Hippocrates, cum aph. 19. lib. 6. statuit; In morbis podagricis esse φλεγμονήν· φλεγμονὴ autem ex sanguine oritur.

§. XVII. Eloquentissimus ille Orator, & Medicus solertissimus Johannes Fernelius, pituitosum solum & serosum humorē

hujus

hujus mali causam esse existimat. Ita enim lib. 6. de part. morb. & symt. c. 18. scribit: Neq; humor hic, continens arthritidis causa, am varius atq; traditur existit: nec enim sanguineus, nec biliosus, nec melancholicus unquam est: sed omninò vel pituitosus, vel serosus: perperamq; arthritidis differentiæ ex humoris genere statui solent: ut alia calida, alia frigida sit: sed omnis frigida est, ex frigido humore genita. Quod si rubor aut calor interdùm, maximèq; in *chiragra* vel *podagra* cernitur: is non ex morbi essentia sed ex *vehementia* fit *doloris*: qui ruborem caloremq;, nonnunquam & febrem arcessit: quæ potissimum iis eveniunt, qui constitutionem corporis obtinent impensè calidam, atq; plethoricã, & qui levi occasione febri jactantur. Hic igitur frigidus humor, ac tenuis, articulorum vincula, membranas aut tendines implens & distendens, aut feriens, dolorem infert: dolor verò, si corpus præparatum jam est, ruborem, calorem, atq; febrem: quæ distendentis aut ferientis humoris sunt symptomata. Talis est ratione artisq; usu comprobata sententia de arthritidis continente causa.

§. XVIII. Serosum modò humorem arthritidis causam esse, Carolus Piso in lib. de morb. ex serosa illuvie ortis, asserit: Valescus de Taranta, in philonio pharmaceutico c. 20. & Antonius Gvainerius com. de ægritud. junctar. c. 2. præter humorum affluxum etiam flatus, cavitates juncturarum replentes, & nervos & chordas (sunt verba Gvainerii) atq; lacertos extendentes, & quasi quandam extensionem facientes, intensum per sæpè dolorem inducere, statuunt.

§. XIX. Ambrosius Paræus lib. 17. Chir. c. 2. ab his omnibus planè diversam fovet sententiam: nempè arthritidis causam efficientem esse virus quoddam malignum, occultæ & inexplicabilis naturæ. Humor, inquit, qui Arthritidem cõmittit, non notioris naturæ est, aut magis effabilis, quàm qui pestem, aut luem venereā, aut epilepsiam facit. Idq; probare conatur aliquot argumentis: & (1) quidem quod planè alterius sit naturæ, quàm is; qui phlegmonis, erysipelatis aut scirrhi autor est. (2) quod humores jam cõmemoratos tumores excitent; cùm in partem

ali-

aliquam influxerint, ne tum quidem, cum in *pus* vertuntur tam acrescient dolores, atq; is, qui Arthritidem facit: utpote cujus dolorifici morsus longè sint acriores, quam ejus, qui cancru excitat ulceratum. (3) Quod humores illi, quando alia ex causa in articulos incidunt, haud unquam in nodos abeant: solus verò is, qui arthritidem in articulis facit, postquam eò collapsus fuerit, tandem in nodosum quid ac veluti gypseum, *nullis remediis expugnandum*, induratur: & (4) quod humor hic peculiari qualitate tantùm articulis adversetur. Partibus enim, ait, per quas decurrit, minimè noxius est; haud magis, quàm materia, quæ, ab inferioribus partibus sursùm cerebrum irrepens, epilepsiam facit simul atq; in articulorum spatia incidit, extremosq; ciet dolores modò cum caloris, modò cum frigoris sensu. Nonnullos enim videmus arthriticos: qui sibi dolentes articulos uri dicunt: alios quibus iidem quâvis glacie frigidiores videntur: sic, ut ex animi sententia calefieri nequeant. Imò nonnunquam videre licet in eodem arthritico corpore, dextræ partis articulos veluti doloribus extorreri; sinistræ verò frigore divexari. Ergò!, inqvit modò laudatus Paræus, non â simplici intemperie, (nihil enim in reliquis, quotquot sunt, tumoribus simul contingit) sed â maligna, *occulta* * & *inexplicabili* materiæ *qvalitate*, doloris arthritici acerbitas causam habet.

* Occultæ qvalitates sunt ignorantiæ Asylum.

§. XX. Verùm cum in arthritide magna deprehenditur dolorum, tumorum, eorumq; calorum & insultuum, imò curationis varietas, ut á quovis humore, etiam sanguine arthritidem generari posse concedo: ita omnis æquè proximè & iṁediatè eum afficere nego. Sanguis enim intra suos limites naturales se continens, nunquam ullum dolorem, ne dum arthriticum parit. At ubi in *qvantitate* aut *qvalitate* peccat, ita ut in ichorem acrem abeat ut accidit, quando præter modum augetur sanguis, aut viscerum vitio nimis calidus, & frigidus, aut p. n. humidus & frigidus redditur, suô ad articulos prolapsu facillimè hunc dolorem excitare potest.

§. X

§. XXI. Neq; alicujus momenti est: quod nonnulli putent sanguinem ideò arthritidem non generare, quod collectus in articulo φλεγμονὴν non excitet, in qua fiat ulla *suppuratio*. Causa enim hujus rei est, quando sanguis suis elapsus vasis im̃ediatè fluit ad partem muscolosam, tum demùm dolor calore istius partis in pus mutetur, minimè verò in ichorem resolutus, partibus osseis, mẽbranosis, ex anguibus, & frigidis, in pus converti possit.

§. XXII. Nec pituita sibi relicta, i. e. quamdiu manet *frigida, humida* & *crassa*, hoc progenerat malum, sua enim natura talis humor ad fluxum, & quidem ad angustos articulorum meatus ineptus est. Unde Reverendus ille Senex, Hippocrates statuit libr. de affection. ex pituita arthritidem generari, illa tamen quæ bilem admixtam habet, ita, ut hæc quasi fiat vehiculum. Idem docet Galenus libro 10. de med. secund. loc. c. 2. ubi p. n. attenuata pituita, acrimoniam & subsedinem contrahit, atq; articulos profluit, certa arthritidis causa est.

§. XXIII. Probabilius est, hunc affectum im̃ediatè magis producere, tum *flava*, tum *nigra bilis*, sive *humor melancholicus*. Cum enim flava bilis per se satis tenuis, fluxilis, acris, mordax ubi ad articulorum cavitates penetrat, eosq; replet, distendit, vellicat, arthritidem inducit. *Melancholicus* autem *humor*, quoniam constat partibus non modò *crassis* & *fæculentis*, sed etiam *tenuibus serosisq;*, ut mihi hoc â Dn. Ittigio Med. Lic. Præceptore meo fidelissimo demonstratum, & jamdudum â Platone observatum est, ita enim in Timæo: ἰχὼρ δὲ ὁ μὲν αἵματος ὀῤῥὸς πρᾶος, ὁ δὲ μελαίνης χολῆς ὀξείας ἄγριος; Cruor quidem, qui sanguinis est veluti serum, *lenis* est ac *mitis*; qui verò bilis atræ *acris* est *agrestis* & *ferus*, hoc est interprete mihi Galeno T. V. p. 470. Clarissimi Præsidis mei, viri multijugæ lectionis, scientiæ omnigenæ, ductu, δακώδης τε καὶ διαβρωτικὸς mordax & corrosivus. Nostris quippe humoribus insunt ὀξύτητες δριμεῖαι καὶ ἰώδεες, uti loquitur Medicinæ Dictator Hippocrates 10 aph. 28. 57. aph. 22. acumina *pungentia* & *æruginosa*, atq; adeò δριμεῖς ἰχῶρες *sanies* excellenter *acuta* ab iis unicè dimanat.

 §. XXIV.

§. XXIV. Nonne igitur erronea est sententia Johannis Fernelii? solum serosum & pituitosum humorem esse unicam arthritidis causam: quippe contrariatur tum rationi, tum rerum omnium Magistræ experientiæ, quia ut rectè dixit Hieronymus Mercurialis, lib. 4. cap. 2. p. 5. Pituitosus humor, suâpte natura iners est, neq; ex sese penetrare potest ad articulorum anfractus. Quare necessarium est, ut, si debet penetrare, aliquod habeat *vehiculum*: & propterea I. rationi diversissimum, tot dolores posse fieri â solo pituitoso humore: II. Contra experientiam est, omnem arthriticum dolorē calidis tolli medicamentis, sed plerumq; refrigerantibus quàm optimè corrigitur: si autem omnis arthritidis causa esse frigida, ut Fernelius vult, utiq; sua prodessent calefacientia: III. Causa calida quia majorem habet activitatem, quando cum *excessu agit*, *intensum*, & *exquisitum* infert *cruciatum*, qualis est arthriticus.

§. XXV. Nec sibi constat Fernelius dum l. c. dicit: Ruborē & calorem in articulis fieri, non ex morbi essentia, sed ex vehemētia doloris, qui ruborē calorēq; facit: qui potissimùm iis eveniunt, qui constitutionem corporis obtinent impensè calidam, atq; plethoricam, & qui levi occasione febri jactantur. I. enim falsum, dolorem posse producere ruborem & calorem, sine ulla *materia*: cum nec ipse dolor internus possit in corpore humano generari, neq; subsistere sine materia, causa doloris, *humore* scilicet, *vapore*, *flatibus*, *vermibus*, *calculo* vel alia *re non naturali*. Ille igitur calor, rubor & febris, primariò non sunt ex dolore. Quod Fernelius ipse innuit dicens: Hæc accidentia evenire potissimum iis, qui constitutionem obtinent impensè calidam, atq; plethoricam. Quid quæso hoc aliud est, quam dicere illum calorem, ruborem & febrem esse ex constitutione plethorica: i. e. ex abundantia sanguinis & impensè calido corpore. II. Quomodo hæc, quæso, simul stare possunt, corpus impensè calidum & plethoricum, in quo *sanguis præter modum auctus* dominatur & *multa pituita?* Fernelius dicit: Omnem arthritidem ortum suum sumere ex humore seroso, l. pituitoso: illum humorem creare intensissimum dolorem, ex dolore oriri ruborem, calorem & febrem; non tamen

ex

ex humore illo frigido, sed ex *plethora*, sive *copioso sanguine* in eodē corpore impensè calido. Ex Fernelii igitur mente in corpore, valdè *calido*, & *copioso sanguine repleto*, simul etiam generantur multi *humores frigidi*: quod falsum.

§. XXVI. Falsum est, quod Ambrosius Paræus protulit & 1. quidem humorem arthriticum, non notioris esse naturæ, quam qui pestem, & luem veneream, aut epilepsiam facit. Nam, ut jam dixi, ille morbus oritur ex humoribus satis *effabilibus*: quia humores, ut manifesti sunt, ita etiam medicamentis *manifestis qualitatibus* agentibus, curantur. Quod autem 2. hi humores tumorem non producant neq; ad suppurationem perveniant, ratio non est: quod malignitatem habeant. Nam & maligni humores quoq; *tumores* faciunt, & in *pus* mutantur; ut experimur in *pestilentibus bubonibus* & *anthracibus*: sed causa est, quod humor ille serosus sit. Nec 3. quicquam ad rem facit: quod isti humores *communes manifestiq;* cum in partem aliquam influxerint, ne tum quidem, cum in pus vertantur, tam acres cient dolores, atq; is, qui arthritidem facit.

§. XXVII. Etsi hoc concedo: indè tamen non sequitur: ergò ille humor, qui acutiores efficit dolores, malignam & occultam habet agendi facultatem. Quod enim hæc causa, in una parte majorem inducat dolorem, quam in alia, non semper ex causæ malignitate, sed ex humoribus, agendi *vehementia* & *remissione*, vel *exquisitiore* & *obtusiore sensu*. Ita intensior oritur dolor ex sanguinis & bilis *acrimonia* & *calore*, quam ex *pituita*, & quidem major in parte membranosa, quàm carnosa. Non tamen simpliciter verum est, dolorem arthriticum majorem esse, quàm tumorem ex sanguine vel bile sive flava, sive nigra ortum, ut sensu manifestum est in *phlegmone* &c. inprimis verò *paronychia*, in digitorum extremitatibus circa ungues nata: in qua tantus percipitur dolor: ut affecti nec die nec noctu quiescant: & non rarò *febrem continuam*, imò *lipothymiam* ex doloris atrocitate, conjunctam habeant: adeoq; multis modis dolorem tum arthritidis, tum cancri exulcerati superet. Quod tamen illi humores, ubi in articulos ex

alia causa incidunt, in nodos haud unquam abeant, causa est: quod illi humores, materiam *tartaream* & *gypseam* non transferant secũ ad articulos; sed solum *serum*, quod *sale* & *tartaro* copiosè *imbutum est*; quod dum longa mora detinetur in articulis; in iis subsidet, coacervatum tandem coagulatur & membra *nodosa* reddit.

§. XXIIX. Verùm materia fluens ad articulos, ideò partes per quas decurrit, non lædit: quia tantum currit & fluit, minimè verò in iis subsistit, neq; coacervatur, ita ut partes illas *distendere*, vel etiam continui solutionem in iis possit efficere. Quemadmodum ille vapor, (loqvor cum Veteribus) qui in epilepsia ex partibus inferioribus ad cerebrum ascendit, non in via, sive partibus per quas defertur, neq; in parte mittente epilepsiam facit: quia in illis id agere non potest; quod agit in parte recipiente, *cerebro* scilicet: in quo collectus, vasa, imprimis nervos *replet*, *obstruit*, *mordet* & *vellicat*.

§. XXIX. Quòd autem arthritidis causa, modò cum caloris, modò frigoris sensu arthriticum pariat dolorem: accidit ob variam humoris affluentis diversitatem: modò enim fluit humor calidus, modò frigidus, ut pituita remixta bile; vel in unum articulum illabitur calidus, in alterum frigidus humor, eaq; ratione, interdum videre licet, in eodem arthritico corpore dextræ partis articulos, quasi *ardoribus* extorreri, sinistræ verò *frigore* torpere: vel etiam eodem latere genu *calida intemperie*, pedum verò articulum *frigida* vexari. Hoc accidit, ubi affluens humor calidus circa genu subsistit, ibiq; coacervatus non naturalem producit calorem, simulq; vasa obstruit: quò minus liberè sanguis calorq; ad pedum articulos distribui possit: unde caloris defectus & frigoris sensus. Præter rationem itaq; hæ rationes persuaserunt multis: hujus mali *essentiam incognitam*, *virusq; occultum*, & *inexplicabile* esse: quamvis non prorsus negem, nonnunquam humorem, arthritidis causam, *malignitatem* aliquam habere.

§. XXX. Omnium igitur proxime arthriticum dolorem producere *humores serosi*, Sole meridianô clarius est. Verùm illi non unius sunt generis: alii enim secundum, alii p. n. in nostro

gene-

generantur corpore. Illi iterùm duplici modo dicuntur naturales, vel qvod illorum generationem natura intendat: eosq; ob certum finem & usum producat: vel qvod per se qvidem illi non intendantur, tamen dum chylus & sangvis generatur ratione materiæ, i. e. *cibi* & *potus*, evitari non possit, qvin non simul hujusmodi humores procreentur.

§. XXXI. Prioris generis sunt humiditates, quæ chylum & sangvinem ita diluunt: ut in vasis suis vehi & distribui possit. Unde apud artis nostræ Legislatorem, Hippocratem ὄχημα τῆς τροφῆς, *vehiculum nutrimenti* vocatur. Sine dubio hic est ille liqvor, qvem cum Recentioribus *lympham* voco: etsi Medicorum Lumini, Bartholino videatur â seri natura differre. Ad alteram verò classem pertinet aqvosum & tenue illud sangvinis excrementum, qvod Græcis ὀῤῥός, Latinis *serum* dicitur. Nam cum germen imortalitatis, Homo, non *solidô* & *siccô* tantùm, verùm etiam *liqvidô* & *humidô cibô*, imò ad extingvendam sitim, *potu* utatur: illa autem alimenta non omnia in laudabilem transmutentur sangvinem: pars *tenuis* & *aqvosa* ad nutritionem inepta & superflua remanet: qvæ ubi â sangvine se cernitur in serum abit.

§. XXXII. Præter naturam in corpore nostro serosi colliguntur humores, ex humorum corruptione: nam in omnibus succis & humoribus serosam qvandam & tenuem humiditatem reperiri, scribit arte medica celeberrimus Galenus com. in l. 6. c. 15. Illa autem corruptio accidit vel per σῆψιν *putredinem*, vel per σύντηξιν sive *colliqvationem*.

§. XXXIII. Prius accidit, ubi humores in corpore nostro geniti, nec ipso sangvine excepto, p. n. coacervantur: nec libere moventur, nec debito evacuantur tempore: tum enim eorum calor opprimitur, & extingvitur; qvam extinctionem seqvitur *corruptio* & *putredo*. Similiter, ubi humores ad copiam, vel tenuitatē & acrimoniam sua aperiunt vasa, & ad locum alienum prolabuntur: non possunt diutiùs conservari, sed resolvuntur & corrumpuntur.

§. XXXIV.

§. XXXIV. Humorum verò colliqvatio fit: qvando vehemens calor sangvinem attenuat, & dissolvit: ubi autem hâc ratione substantia & unitas sangvinis in suas dissolvitur partes: non possunt illæ integræ subsistere.

§. XXXV. Partes verò illæ sunt *crassæ*, vel *tenues*. Tenues constituunt corruptum hoc serum. Docet hæc omnia primus ille artis nostræ Parens Hipp. lib. 1. de natura hominis his verbis: Hominis corpus in se sangvinem, & pituitam, & duplicem bilem, flavam nempe, & nigram continet: ex qvibus corporis ipsius natura constat; & per hæc dolet & sanum est. Sanum qvidem vel maxime, cum hæc moderatam inter se tum *facultate*, tum *copia*, temperationem habuerint. Dolent autem, ubi horum qvicqvã vel *minùs* vel *copiosiùs* fuerit in corpore separatum. Cum enim horum aliqvod secesserit, & per se constituerit, necesse est: non solum locum, ex qvo excessit, morbô vexari, sed etiam in qvem nimia copia influxerit. Hi humores autem arthriticos pariunt dolores, cum ad articulorum partes sensibiles fluunt, easq; distendunt, vellicant & mordent.

§. XXXVI. In omni humorum fluxu qvatuor potissimùm consideranda sunt, 1. ipse humor, qvi fluit, 2. pars mundans, â qva fluit, 3. pars recipiens, ad qvam fluit: & 4 via & meatus, per qvos fluit.

§. XXXVII. Hactenus ipsum consideravi humorem. De parte mandante hunc humorem, variæ circumferuntur opiniones: alii cerebrum, alii hepar & reliqva sangvificationi dicata accusant viscera. Artis medicæ fortissimus Atlas Fr. De le Boë Sylvius Tr. de arthrit. §. 85. glandulas pancreatis *conglomeratas* passim *conglobatas* * (ut illas vocat) focum & locum, in qvo generatur vel coacervatur humor arthritidem producens statuit: eamq; sententiam probat tum experientiâ Anatomicâ; tum qvod humor peccans, idem sit cum humore febres intermittentes producente: cùm nonnunqvam febres in arthritidem degenerent, teste divino Preceptore nostro, Hipp. l. 4. aph. 44. ubi inqvit: Qvos febres longæ exercent: iis vel tubercula vel articulis dolores fiunt.

* Drelinc. in Colleg. Anat. illas non distinxit.

§. XXXVIII.

§. XXXVIII. Cum verò in pancreate non minùs, qvàm in reliqvis visceribus corrupti generantur humores: ab eo causam hujus affectus ad articulos promanare non negem: sed illud solum in culpa esse, á veritate ut mihi videtur, alienum est: neq; solum pancreas, verùm etiam stomachus, epar, lien, mensenterium focus & locus febrium sunt. Igitur dico partem mittentem humores noxios non semper unam esse.

§. XXXIX. *Via & meatus*, per qvos â foco & loco properat, & ad articulos fertur, sunt *venæ & arteriæ*: qvòd ex eo patet, 1. qvod arthriticis instante paroxysmo venæ ad manus, pedes, extremosq; articulos tendentes manifestè intumescant: 2. affluxus hic & morbus subitò fiat: qvod fieri non posset, si extra vasa humor ad articulos proflueret; 3. qvòd parti affectæ applicatis *refrigerantibus & repellentibus* dolor cedat, ac ex uno loco in alium migret: & liberato hoc pede, nunc alterum affligere incipiat. 4. Galenus, Medicorum in præsagiendo felicissimus, com. 2. in lib. de nat. hom. aph. 5. dicit, & experientia testatur: Arthriticos & podagricos tum interire: qvando succi ad articulos delati, inde repelluntur ad principem partem: nec servari eos posse, nisi rursùm noxii humores ad artus revocentur. Qvâ ratione autem hi humores ab articulis repelli, & ab iis ad artus revocari possunt, si sunt extra vasa? Nec tamen assero, nihil prorsus serosi humoris per partes subcutaneas, & carnosas, extra vasa ad articulos transmitti posse: cum satis manifestum sit: vesicatoriis & cauteriis magnâ copiâ ejusmodi humorem extra vasa subsistentem, maximô arthriticorum commodo intercipi & evacuari.

§. XL. Terminus, ad qvem fit fluxus, sunt *articuli*: qvi præ iis partibus sunt dispositi ad excipiendos humores: tum qvòd [illegible]ecliviori & â *corde, caloris fonte*, remotiori sunt positi: tum qvod circa articulos vasa terminentur: quæ per anastomosin noxios humores, suâ mole, suâq; acrimonia molestos in iis deponũt: qvi in illis articulis ob laxam & nodosam ossiũ articulationem subsistunt & cumulantur.

§. XLI. Causa *προκαταρκτικὴ* hujus mali est omne illud, qvod *παρασκευὴν* arthritidis movere atq; excitare potest. Agmen heic ducit *aër*, cujus ope vita nostra sustentatur: & quem infinitis meatibus insensibilibus intra corpus per poros, ac sensibiliter per ipsã inspirationem, continuò homo admittit: cum, insto, hicce *particulis nebulosis, subterraneis, crassioribus* inqvinatus sit: facili negocio hasce particulas heterogeneas tum sanguini, tum lymphæ comũnicat: qvæ pro diversa sui constitutione humores illos diversimodè exagitant: ac variam *fermentationem vitiosam*, multifariis modis, inducunt. *Nebulosus* enim *aër* intra corpus nostrum admissus, humores in eo existentes torpidiores ac viscidiores reddit; utpote iis qvalitatibus constans: è contra autem acriores humores plus debitô exagitat, ac fermentationem adauget.

§. XLII. Pari fermè ratione partis cujusdam subita denudatio, vel corpus nostrum aëri frigidiori expositum, in causa esse poterit. Undè vel *depravata* in corpore nostro causatur *effervescentia*; vel notabilis imbecillitas in articulis producitur.

§. XLIII. *Cibi* copiosè *ingesti*, & ad crudum vel acrem sangvinem generandum apti, nec non *sale tartareo* præditi, carnes & pisces sale fumoq; indurati: propter abundantiam salis fixi arthriticum citius promovent dolorem. Potus obest nimius præcipuè vinorum, quæ in solo calcaceo & tartareo proveniunt: habent enim salem seu tartarum crassô modô mixtum, vel, ut cum Chimicis loqvar, *sal* adhuc *fixum*; qui cum spiritu in massam sangvineam abit.

§. XLIV. Imoderatus *Veneris usus* ad hoc etiam confert malum: Venus enim nimia cùm articulos & partes nervosas, tum totum corpus debilitet: plurimùm ad arthritidis generationem facit. Hinc Poëtis podagra *Bacchi* & *Veneris filia* dicitur: hincq; Græcum illud Distichon, multa vetustate & venustate insigne:

Λυσιμελοῦς Βάκχου, καὶ λυσιμελοῦς Ἀφροδίτης
Γεννᾶται, θυγάτηρ λυσιμελὴς ποδάγρα.
E solvilumba Venere, solvilumboq;
Baccho, creata est solvilumba chiragra.

Ut

Ut Jul. Cæs. Scaliger verbit. Et latini Poëtæ versus!

Nec Veneris, ne tu vini capiaris amore;
Uno namq; modo, vina Venusq; nocent:
Ut Venus enervat vires: sic copia Bacchi
Et tentat gressus, debilitatq; pedes.

§. XLV. Promovent & augent hoc malum somnus & vigiliæ. Cùm enim actiones hæ naturales justô tempore adhibitæ sanitati sumopere conducant: ita plurimorum morborum causæ fieri possunt: si terminos mediocritatis excedant. *Somnus* enim *nimius, humores omnes* in corpore nostro *condensat*: *acidum auget*, illudq; *torpidum reddit*: ê contra autem *vigiliæ humores* illos *nimis exagitant*: ac acriores reddunt per motum corporis insolitum: tum per motum Spirituum animalium indesinentem celeriorem: qvæ utraq; causa remota arthritidem inducere potest.

§. XLVI. Nihil autem efficaciùs hunc producit morbum, qvàm evacuandorum p. n. retentio. ubi nempè sangvis *qvantitate* vel *qvalitate* peccans, nec non reliqvi abundantes humores debito tempore non excernuntur: eâ enim ratione præter modum in corpore accumulantur: & facillimê accedente causâ irritante ad membra externa transmittuntur.

§. XLVII. Hoc præ cæteris etiam præstant *motus* & *qvies*: *motus* tum *corporis*, eqvitationes, cursus, saltationes post indigestũ cibum institutæ; tum *animi*, ira nempè, mœror, excandescentia, curæ, lucubrationes nocturnæ ac studia nimia. Hæc enim cum nimia fuerint, concitant *effervescentiam & agitationem humorum*: deindè humores cõmoti in articulos influunt: doloremq; acutissimum inducunt atq; promovent.

§. XLVIII. Differt autem arthritidis 1. ratione *generationis*: alia *non est hæreditaria*, alia *est hæreditaria*: nam

Qvi viret in foliis, venit ex radicibus humor,
Sic Patrum in natos abeunt cum semine morbi.

Et Poëta Lyricus canit:

Ætas parentum pejor avis tulit
Nos neqviores, mox datura

 Pro-

Progeniem vitiosiorem.
Et Virgilius ipse:
— — — Sic omnia fatis
In pejus ruere, & retro collapsa referri.
Qvod ipsum Avicen. lib. 1. fc. 2. doct. 1. in fine cap. 8. & Aëtius ser. 12. c. 7. testatur. Cum verò nulla ratio subsit; cur non illud hæreditarium vitium, tàm in fœminas, qvàm masculos propagetur: facilè patet: hæreditariam podagram etiam excipiendam esse, â divini Præceptoris nostri Hipp. aph. 29. 30. 31. sect. 6. Uti autem alia vitia, in liberis sæpè non, in nepotibus tamen apparent: ita & arthritis ab *avo* ad *nepotem*, *liberô* interim *patre*, potest transire.

§. XLIX. Nonnulli scribunt etiam *epidemicè* grassatam esse podagram: qvod qvidem, qvia paucis nititur experimentis, nec ausim asserere nec negare: quia tamen *aër*, vid. Disp. §. 40. magnã vim circa arthriticos habet dolores: videtur *qvodammodò endemicum morbum* esse arthritidem: qvia uno in loco plures arthriticos reperimus, qvàm in alio.

§. L. Heîc qvæstio oritur: An arthritis contagiosa sit? etiam hoc non constat experimentis. Candidæ veritatis insignis Amator, Sennertus, ubi contagiosos morbos enumerat, arthritidem omittit: librô autem 4. de febb. c. 3. fol. 394. ubi de contagio diligenter & ex instituto scribit; non qvodlibet corpus morbosum etiam contagiosum esse, ait: statimq; subjungit: Neq; qui arthritide laborat, eam alteri per contagium cõmunicare potest. Unde colligitur, tam certò statuisse Sennertum, *arthritidem non esse contagiosam*: ut nec qvæstionem de ea moverit in doctissimo suo Tract. de arthr. Nec ego apud alios Authores tractatam hanc qvæstionem me legisse memini: unam tamen *historiam* referam. Frid. Laur. in suo Cõment. de aph. Hipp. incert. ait: Podagricum qvendam aluisse domi suæ canem, qvi pedes podagrici hospitis sui freqventer linxit: ille autem canis deinde per paroxysmos podagrâ affligebatur: ut nec stare nec ambulare posset.

§. LI. Sed ê diverticulo ad viam; arthritis 2. ratione *accidentium* differt, qvædam *nodosa* est, qvædam *nodis* caret 3. ratione causæ

vid

vid. Disp. § 41.42.43.44.45.46.47. 4. ratione *durationis*, alia recens, alia inveterata est. 5. ratione *invasionis*, alia periodos observat, alia sine periodis invadit. 6. ratione *partium subjectarum*. Deniq; 7. alia est *vaga*, qvæ nunc hanc, nunc alteram partem molestè afficit: alia *fixa*, qvæ fixum in omnibus vel plurimis articulis, habet dolorem.

§. LII. Ex antecedentibus malum hoc cognoscitur: si parentes scil. fuerint arthritici, si gula vinosa, si nimia Venus, si lassitudo corporis, torpor & tandem dolor circa articulos ex levissima causa oritur. Præsens arthritis per se patet ex dolore articulorum vehementi, motuq; difficiliori manuum, pedum, genuum, qvem seqvitur tandem tumor, rubor & plerumq; febris. Inde *vigiliæ*, *virium dejectio*, aliaq; symptomata, quæ eleganter Lucianus in Trago podagra descripsit.

§. LIII. Prognosin qvod attinet, arthritis lethalis non est: qvod quibusdam ægris est *solutio*, quibusdam *terrori*, qui mallent *mori* quàm *vivere*. Ratio autem hujus rei est: qvòd materia illa cor, in quo vita nostra consistit, non lædat. De *podagra nodosa*, communis est doctrina: eam esse incurabilem: de qua versus vulgaris,

Tollere nodosam nescit medicina podagram:

Et Magni Imperatoris Caroli V. proverbium: **Gedult und ein wenig schreyen sind vor die Gicht die besten Artzneyen.** Et reverà si considero, qvòd ut plurimùm fit, nodosa vix curatur. Notatum hoc â sæpius citato & laudato Hippocrate, nodosam in Senibus esse incurabilem. In Juvene curatam esse Spigelius in lib. de arth. & Joh. Noselius in qvinqvagenario, comemorant.

§. LIV. Nonnulli dicunt arthritidem ab aliis morbis præservare curatione: quòd materiam vitiosam ad partes ignobiliores propellat: quod non ausim asserere. Interim exempla docent sæpè ægros in arthritide *diu vivere*. Videmus tamen aliqvando eos *mori*: soletq; vulgò id arthritidi tribui. Ubi notandum: aliquando nimis vigiliis, *victam* succumbere *naturam*: sæpè enim *periculosas febres*, *inflammationes*, *deliria*, *cordis angustias*, *tremores*, *anhelitus*

ktus, aliasq; *difficultates* conjunctas habet: & tum quidem arthriticus mori potest: imò mors est in propinquo: fitq; imprimis: cũ in articulos propellitur materia, & magna copia partes nobiles invadit, ut cor & pulmones.

§. LV. Vulgus superstitiosè attendit, imo ex Medicis quidã, ut apud Lev. Lemnium videre est: An annularis digitus etiam *tumore* corripiatur: & tum mortem subsequi putant: si ille liber sit, non esse vitæ periculum. Verùm hæc res neq; ratione aliqua subnixa est: neq; experientiam suffragantem habet.

§. LVI. De *paroxysmo* ipso, supremus Medicorum Daduchus, * Hippocratem indigito lib. 6. aph. 44. ita scribit: Quibuscunq; morbi podagrici fiunt: ii, sedata 40. dierum inflam̃atione, finiuntur; modò ut sacræ nostræ medicinæ Antistes, Galenus in com̃ent. addit, Medicus in curatione nihil deliquerit, & æger sint obedientes. Illa verò verba intelliguntur, vel de aliquo die in hoc spatio 40. dierum contento; vel de ultimo & longissimo termino. Pro diversitate enim materiæ paroxysmus ipse variat: quando illa dissipabilis est, facilè citoq; solvuntur dolores: quod vel in principio, vel in juvenili corpore, vel ex partium robore fieri solet. Cùm autem humor *crassus, glutinosus* ac *gypseus* redditur: ultra 40. dies extenditur morbus: ut accidit in confirmata arthritide corpori senili: qvò enim sæpiùs & diutiùs membrum arthritide corripitur: eò habet longiores paroxysmos: & quò pars debilior eò tardiùs, id quod affluxit, discutitur.

* Der die Fackel vorträgt.

§. LVII. Arthritis itaq; curabilis est tam in adultis, quàm in senibus: modò viscera non planè sint depravata: & partes affectæ calidô innatô nativô * non planè exutæ, & in *tophaceam naturam* mutatæ: nec non *bona* insuper in omnibus *diæta* servetur: spretô enim hujus regimine, non raro fit: quod malum per se curabile, in curatione non habeat successum: dum *vina* aliaq; *nociva* usurpant ægri, nil pensi habentes, quid inde subsequi possit: Sie essen gerne was leckers/ und trincken ein gutes Tränckgen (etliche Kannen Wein) und leiden hernach was sie köñen. Annon

Ennius

Ennius ipse pater, dum *pocula* siccat *iniqua*,
Hoc vitiô tales fertur meruisse *dolores*?

* *Non loqvor de calido innato nativo Veterum.*

§. LIIX. Meritò igitur medicinæ Phœnix, Hippocrates â Seneca excusatur: quòd non malè suô tempore dixerit: *Eunuchos, mulieres*, & *pueros* non laborare podagrâ. Siquidem intemperantia, jam Senecæ tempore introducta, hebetavit Hippocratis sententiam *nullô* ejus *dedecore*, quô de *temperate viventibus*, non de *belluonibus* loquebatur. Hercules quidem Saxon. testatur de Polonis: eos non tantùm *pueros*, sed & dum *lactent*, arthritide corripi. Propterea tamen aphorismorum veritas non infringitur: loqvuntur enim aphorismi Hippocratis de eo, quòd plerumq; contingit. Si confero inter se pueros, & viros; longè plurimi viri laborant podagrâ, paucissimi verò pueri. Ita etiam de mulieribus verum est: longè rariùs eas laborare podagrâ, quàm viros: nec ferè laborare, nisi menstrua fuerint suppressa aut iminuta: nam & hîc aliquando contrarium posse contingere fateor. Neq; etiam id voluit artis nostræ Legislator, Hippocrates in aphorismo: quia pueri non laborant ante Veneris usum podagrâ: Venerem modò causam esse podagræ: neq; cum de mulieribus loquitur, non laborare eas podagrâ: nisi suppressa sint menstrua: â menstruis suppressis solis podagram oriri.

§. LIX. Delineata in præmissis morbi naturâ superest: ut ipsi quoq; *curationi* manus admoveam. Omnium autem remediorum dextra administratio, ex tribus illis vulgaris notitiæ fontibus, *Diætetico* nimirum, *Pharmaceutico* & *Chirurgico* petenda.

§. LX. E *fonte chirurgico* suppeditatur V. S. quæ multis utilissima, illis scilicet qui abundant sanguine fervido: potestq; in his non tantùm in Vere, sed & autumno institui. Quô autem in loco vena sit secanda, adhuc disputatur. Si nullus respectus habetur in vena secanda, nisi ad *plethoram* & *sangvinis fervorem* perinde est, quâ in parte fiat. Ast ubi ad partem affectam respicitur: solent quidam, ubi in manu est, venam in pede secare & contra. Quidam ipsam partem affectam secant, aut cucurbitulas loco affecto adhi-

adhibent. Idiota illa sartor Göttingensis, qui magnum sibi nomen illa curatione acquisivit, *instante novilunio*, imò accuratè observans *punctum temporis*, sanguinem emittebat.

§. LXI. Quidam observant etiam rectitudinem laterum: cui quidem ego vix quicquam possum tribuere: postquam *circulatio sangvinis* est inventa. Certè in praxi observantur, quæ cum motu sanguinis vix conciliantur. Trincavellus, Vir sanè doctus & fide dignus exemplum refert: Laborabat quidam doloribus omnium articulorum, in utroq; latere, Medicus animadvertebat sanguinem *copiâ* laborare: ideò in dextro pede secat venam: tunc brevi temporis spatiô, dolor dextri lateris cessat, manente in *sinistro latere* dolore: deindè cum in dextro secabat, in altero etiam latere dolor cessabat. Hæc profectò cum *motu sangvinis* conciliari non posse quilibet videt.

§. LXII. In paroxysmo multi V. S. laudant, multi vituperant. Rationalis autem Medicus consideret, *qvale* sit *corpus* ægri. Si enim Experientiam, rerum omnium Magistram consulo: juvasse aliquando, aliquando non deprehendo. Si *corpus* sit *plethoricum*, si febris simul adsit: tum quidem V. S. instituere comodum erit. Ex suis enim signis debet cognosci: quod si *pituitosum*, illi tantum abest, ut juvetur sectione: ut potiùs majus incurrat periculum Solenander cuidam cum in paroxysmo suo vena esset secta, deinde post paroxysmum motum fuisse impeditum observavit: observavit in alio venâ sectâ, tophos in articulis esse repertos.

§. LXIII. E fonte Pharmaceutico nobis suppeditantur varia medicamenta: in primis prosunt *hermodactyli*, & ex iis parata medicamenta. Sunt qui in dubium vocant *usum hermodactylorum* in arthritide, inter quos est Frambesarius in cons. fol. 444. ille tamen improbare eos non videtur: in his præsertim Subjectis, quæ obeundarum actionum necessitatem habent: ubi scilicet subitaneô opus est auxiliô. Etenim, inquit, intra biduum obeundis muniis idoneos faciunt *hermodactyli*. Paulus lib. 3. cap. 78. rubr. 2. scribit: Notus est mihi qui non hermodactyli substantiam, neq; aliquod ex eo compositum medicamentum; sed *herbæ* ipsius de-

coctum,

coctum, cum aliqvo consulto medicamento, utpote *aniso*, vel *ap.* decoqvens, ipsum potui exhibuerit: ac mirum est, quàm resolutâ sæpè alvo defluxionem sederet. Unde & Avicenna lib. 22. c. 3. Tract. 2. c. 8. suâ & aliorum mente affirmat, esse utilitatis maximæ: licet debilitet stomachum, sic enim ait: Verum *hermodactyli* sunt nocui stomacho: quare oportet ut misceantur cum iis, qvæ sunt sicut *piper*, *Zingiber*, & *cyminum*, & quandoq; ea, quæ sunt sicut *aloës* &c.

§. LXIV. In cacochymia in usum vocatur emeticum ex gutta gummi ad gr. III. vel ex ♁lo in jusculo pingviori diluto ad ℈j. Prodest etiam *infusio sennæ*, cum manna calabr. & radice *galappæ*. Omnia verò excedit *syrupus Rhamni cathartici* ad ℥j. horâ unâ ante pastum assumatur: adjicitur sæpiùs *manna* vel aliud purgans: sed *rhamnum* aliorum purgantium Consortio non gaudere observavit Excellentissimus Præses meus, Vir sublimis judicii, magnæq; experientiæ.

§. LXV. Laudabilia etiam sunt remedia in arthritide, quæ per *insensibilem transpirationem sudorem* & *urinam* movent: alia unum modò præstant, alia utrumq;. Fernelius *qvaj. decoct. salsaparil. chin* comendat, Crato *seden nard.* Cardanus quidem jubet ejus usum vitare in corpore sicco. Huc referendum est *decoctum Chaned.* præstans sanè remedium quod Magno Imperatori Carolo V. Medicis fuit comendatum. Crato consil. 710. fol. 371. svadet continuum usum *CC.* cujus *rasuram* in petia ligatam ordinario potui addidit. Gvil. Fabr. svadet freqventem usum *betonicæ*, in forma ▽æ, syrupi, pulveris, conservæ &c. *foliorum cichorei* pulverem, calidis præprimis corporibus comendat Spigelius: multùm hîc facit *Bezoar minerale* ritè paratum, ⊖ *volatile viperarum* vel *CC.* cum ⊖e succini.

§. LXVI. Plus tamen præstant *Diuretica*, cum serosam humorem ad naturalia excretionis organa reducant: eâq; ratione Celeberrimum Medicorum Decus, Forestus comendat *rad. lapp.* majoris & refert: Vesalium, Pensionarium Mechlinensem, cum lecto decumberet, ex doloribus articulorum, ut nulla movere

 posset

possit membra; bibisse *decoctum cerevisia*, in quo radix lappæ incocta erat: quâ epotâ cum nullis remediis curari posset, minxit lotium album instar lactis, & â doloribus curatus fuit. vid. obs. 7. l. 29. vel ℞ Sarsaparill. ℥j. ligni sassefras ℥ß. rad. caryophyl. ℥j. santali citrini ℥ij. infunde in ▽æ lib. 3. horis 24. posteà coq. Detur manè haustus vel decocti solius vel cum CC.

§. LXVII. Si intemperies quædam partem mandantem afficiat: ea alteranda est: in quem finem varia & egregia ab Authoribus proponuntur pharmaca: ut sunt in frigida hepatis constitutione *extract. eupator. absynth. chamæpyt. pulv. digest.* Qvercetani *mors. Imp.* (confect. sapient.) similiaq; ex aromatibus parata. In calida hepatis intemperie, conveniunt *fol. endiv. acetos. acetosell.* rad. cichor. flor. borrag. bugloss. conditi. Si lien affectus est, fumaria, scolopendr. chamæpyt. & antiscorbutica, ut cochl. nasturt. & trif. aquat. raph. rust. in calida ejus constitutione conserva pulpæ citri, rosar. acetos. acetosell. pulpa tamarindorum &c.

§. LXVIII. In corrigendis visceribus magnarum virium sunt ♁ ⏀, ⊖, ⏀: viis autem, per quas noxius transit humor, *constringentia* & *roborantia* visceribus applicantur, ut ▽ fol. *qverc. plantag. polygon.* cum admixto *bolo armeno*, *balaustiis*, *masticbe* &c. heîc tamen cautè procedendam: ne improvidè materia ad nobiliora repellatur viscera.

§. LXIX. Post sufficientem corporis evacuationem ad partem recipientem deveniendum est: & quæ illum dolorem vel mitigare vel tollere possunt, applicantur. Quam plurima autem anodyna comendantur: ubi ex simplicibus *lac* (vaccinum) tepidum, recens mulctum, cum linteis in eo madefactis impositum: aut cataplasma ex eo, & medulla panis tritici floribusq; verbasci, chamomillæ, ovorumq; vitellis paratum. Et certè utilissimum tàm in curanda, quàm præservanda podagra *lac* est remedium: legi potest tractatus egregius, egregiè docti viri Greselii, Ph. & Med. D. de cura lactis in Arthritide, in quo pluribus de hoc præstantissimo agitur medicamento. Medicorum Germaniæ nostræ Princeps Sennertus de arth. f. 36. ex gemis coryli exprimit

oleum

leum, ut ex semine lini, corpus remanens comburit, ⊖em cum luvia extrahit: & cum ℈ permiscet, simul transfundendo per vasculum ligneum: sicut pictores oleum lini clarificant: & sic omponit præstans ad dolores leniendos medicamentum. Idem. bid. f. 39. proponit ℈ *verbasci* tale: Flores in ampullam vitream ene clausum ponit ad Solem: sic in liquorem pingvem diffluent: ritq; liquor anodyni.

§. LXX. Forestus comendat ceu miraculosum cataplasma x *lenticula aqvatica* & *florib. chamæmill.* in lacte coctis, addendo parū arinæ hordei confectum. Schönbornius in manuali fol. 241. livorem arte chimica ex pisce quem Peißkern vocat, elicit: eoq; ro externo remedio ad dolores leniendos utitur. Quidam vero it idem l. c. sumunt rasuram CC. & cum aceto rosaceo vel floribus mbuci coqvunt, donec inspissetur, illudq; applicant. Alii sumūt dem acetum tepidum cum theriaca & cum linteo applicant cum agna artis gloria. Crato conf. fol. 467. ℈ ex ossibus humanis ræfert, quod fit ut oleum ex ligno junip. inter duas ollas. Idem rmat Paulus lib. 7. tit. de ossibus. Hâc ratione Aubertus exerc. 50 a addit. Fernelii, felicissimo eventu ea in pulverem redacta, cum onserva *rorismarini* & *betonicæ* comixta non paucis arthriticis exhiuisse refert. Avicenna lib. 21. 3. Tr. cap. 9. inquit: Et existimârūt uidam, quod de expertis, quæ non diversantur omnino est ut in otu dentur ossa hominis adusta, & jam quidē usi fuerunt eis quiam de famosis, & sanati sunt ex podagra & doloribus juncturarū mnino: vel ℞ ceræ alb. ℈ rosf. lumbr. terrest. â ℥iß. ▽ rosf. ✝ vini ℥j. lap. calamin. olib. mastich. ā ℥iß. camph. ʒj. album. ovor. num. M. F. ceratum.

§. LXXI. ℈ ex *pedibus vitulinis* extractum in arthriticis dolobus sedandis præstantissimum est: quod hôc modô paratur: Pees vitulini *contundantur* & ossa *confringantur* ad putrilaginem, ℈ æ supernatans, & cum ▽ vitæ & ⊖is exigua quantitate mistum, artibus dolentibus illinatur. Verùm ubi dolor præter modum ontumax est & ferox, adeò ut lipothymia, & omnium virium ejectio, metuenda sit, ad narcotica confugiendum est: quod

præstant seqventia ℞ fol. hyoscyami m. i. solani, sempervivi, capit. papav. hort. ã m ß. rad. mandrag. ℥j. fl. chamæm. verbasci a.p.i. sem. psyllii ℥iß. hyoscyami dr. i. decoctio fiat in ▽, aut lacte, eâq; foveatur pars affecta: quod si hujus decocti residentiæ addatur farin. sem. fænugr. lin. ã ℥iß. olei chamomill. verbasc. ana q.s. & hyoscyami ℥iß. cataplasma parari potest. Efficacissimum & tutum narcotic ũest etiã hoc: ℞ sp. vin. opt. ℥ij. infunde croc. dr. ß. cãph. ℈j. bulliãt parũ deinde adde opii drach. j. hoc liquore pars affecta foveatur. Quidam huc referunt & ▽æ frigidæ perfusionem; & quidem 1. autoritate Hippocratis, qui 5. aph. 15 scribit: Dolores articulorum podagricos, convulsiones & horum plurima *frigidâ* ▽ *largâ* affusa levat, & dolorem solvit. 2. Aëtii, qui tetrab. 3. serm. 1. c. 28. inquit: Vidi aliquem hâc affectione occupatum, qui immissis in frigidam ▽ pedibus, & aliquamdiu in eo detentis, præclaram tulit opem: & Donatus Anton. Ferrus Tr. 2. de podagra c. 9. scribit: Se hoc remedium sæpiùs expertum esse: & cum alia nihil profecissent remedia, ad ▽æ frigidæ perfusionem, tanquam ad extremum remedium, pervenisse: & statim dolorem fuisse sedatũ. Ego autem hoc remedium approbare nequeo.

§. LXXII. Sedatô dolore, quod in articulis reliqvum, est resolvendum & discutiendum, hæc sequentia præstant remedia. ℞ fol. endiv. malv. chamom. Rom. cum floribus chamæpyt. a. m. ij. incisa coqve in s. q. ▽ hordei ad mollitiem: adde farinæ fœnugr. fabar. ã drach. iß. olei chamomill. cheiron. ov. ã drach. j. fiat cataplasma vel applicetur sequens emplastrum ℞ gum. coloph. ℥ij. amm. bedellii in aceto soluti, terebinth. mastich. thur. myrrhæ ã ℥ß. axung. hum. drach. vj. oo vulp. ros. ã drach. iß. oxycr. drach. vj. rad. Ireos floret. hermodact. pulveris. ã drach. iij. cum oo lumbricorum terrestrium f. empl. Non modò â Chimicis, sed & Cratone & Platero commendatur oo ex ossibus humanis extractum & illitũ.

§. LXXIII. Arthritis nodosa, ubi in tophos concrescit, difficillimè, vel nunqvam curatur. vid. Disp. §. 53. si tamen recentes sint hi nodi demollientibus, & resolventibus tolli possunt: cui rei inservit cataplasma ex caseo antiqvo acri, cum decocto mucilaginoso

nofo pedum fuillorum paratum, & tophis applicatum. Caseus verò bubulus plus prodeſt, quia pingvior ex Galen. lib. de bonitate & vitio ſucc. c.4. Galeni experimentum laudârunt poſteà Trallianus lib.II c.1. Avicenna lib.2. c.118. Oribaſ. lib. 9. Synopſ. c. 59. Hôc auxiliô ſe usq; ad miraculum uſum fuiſſe ſcribit Pet. Bayerus, lib.4. de duritie, & nodis junctur. tit. de tophis. Ambr. Paræus lib.17.c.10. de nodis ſeu tophis, qui in articulis concreſcuut, addit pyrethrum, ♀ euphorbium & miſcet ut efficacius ruptorium paretur. Altimarus tract. de vinaceis horum vires & uſus admirandus ad podagram memorabilibus decantat hiſtoriis. Savanorola tract. de balneis, mineralia & ♀rea laudat. ☍ cer. præfert Crato: ☍ ex mace paratum extollit Foëſius lib.1. pharmacop. fol. 149. ☍ axungiæ humanæ comprobat Daretus: ☍ ex ſemine nicotianæ expreſſum expertum eſſe tradit Porta lib. 8. mag. c. 11. Medicinæ fortiſſimus Dux Luſitanus princ. hiſt. lib. 3. fol. 583. inquit: Ego ſolo ungvento ebulorum dolorem ex tophis contractum ſæpè levari vidi, cujus author fuit Andreas Lacuna lib.4. in Dioſc. c. 158. de ebulis: cujus deſcriptio eſt hæc: ℞ ſucc. rad. ebull. ℥ij. ☍ chamomill. unc.j. coqve usq; abſumatur ſuccus: adde aceti aut vini qvod ſatis eſt, cum cera fiat unguentum. Quæ verò tophorum generationem impediunt docet Paulus cit. loc. explanat eloqventer Franc. India lib. 1. de gutta pod. c.4.

§. LXXIV. *Diæta* deindè adeò neceſſaria eſt: ut hác ferè ſoâ ægri curentur. Rectè ſcripſit ſolertiſſimus Galenus de curat. per V. S. c. 7. Ei, qui rectam victus rationem ſervare neqvit, medicamenta præſcribere ſuperracaneum eſt. Ob quam cauſam *aër* ſit *ſiccus, temperatus*, ſiq; talis non ſit arte mutetur cum *frigidus* nimium, *ventoſus, nebuloſus*, uti & admodum *calidus* & *fervens*, in ſole, æſtuariis defluxiones proritet, & tunc maximè, cum ſubitò ab aëre, rigore aut calore excedente, in contrarium ſit mutatio. *Cibus* ſit *boni ſucci, multi nutrimenti*, & *facilis fermentationis*, pauci excrementi, ac minoris quantitatis, quàm pro more ſolito. *Potus clarus, defæcatus, tenuior* potius, quàm *craſſior*, præſertim *vinum* cane pejus & angve fugiendum. Poëtæ non fruſtrà vinum vocârunt fel ter-

 ræ,

ræ, principem tenebrarum, vitem dicentes, è semine Diaboli in specie serpentis germinâsse, cujus acini veluti veneni guttæ sunt: Diotimus 2. epigr. lib. tit. 6. Theopompus lib. 26. hist. Tirapellus lib. 11. leg. connub. gloss. 1. part. 15. n. 20, 23, 24. Illustris hujus Academiæ Decus, Dn. Cranen, Philosophus subtilissimus, & Medicus felicissimus, Præceptor ac Fautor meus summus, in arthritide vaga vetitam cerevisiam & contrà vinum usurpatum cum successu vidit. Deinde mediocritas in *somno* & *vigiliis* observetur, alvus item laxa servetur, si hoc non fit naturæ beneficio, arte fiat. Exercitia corporis sint moderata. Et si quo in morbo verus est aphor. Hippocratis: Exercitium sanitatis est non saturari cibo & impigrum esse ad laborem, hoc in morbo verus est. A *Venere nimia* abstinendum, *affectus* animi *immoderati*, imprimis ira & terror vitanda sunt, & lætitiæ potiùs est indulgendum: & omnia quæ aliàs â Medicis de bona diæta præcipiuntur arthriticis maximè observanda: de quibus prolixè agunt Alexand. Trallianus lib. 11. cap. 1. Andreas Gallus in cons. â Scholtio collectis cons. 270. Ant. Ferrus, de podagra tract. 3.

§. LXXVI. Et hæc sunt, quæ de Arthritide, exercitii gratia, ante discessum meum dicere volui. Qvemadmodum enim Citharædus assiduè citharam pulsando, facultatem pulsandi sibi comparat: Sic & Medicinæ Studiosum assiduâ exercitatione peritum posse evadere arbitror. Quod reliqvum est: DEUM Triunũ, Archiatrum summum rogo, ut qui medicinam, pro singulari sua erga genus humanum clementiâ, multis revelavit: remedia idonea suppeditavit: idem etiam mihi, ut illa ipsa ad exoptatum scopum & hoc in casu, aliisq; qvam plurimis, ad nominis sui gloriam, & proximi salutem impendere possem, largiatur: etenim

Ni DEUS affuerit, viresq; infuderit herbis,
Quid, rogo, dictamnus, quid panacæa juvent?

T A N T U M.

Clariss.

Clarissimo & Doctissimo

DN. M. BARTHOLOMÆO TOBIÆ SEIBTIO,
Med. Cand. dignissimo, Amico suo mellitissimo,
S. P. D.
MICHAEL DITTMANN / Dresd.
Phil. & J. U. D.

ETsi quidem hôc tempore & hisce terrarum locis multis curis domesticis, aliorumq; hominum negotiis peragendis undiquaq; me implicitum esse sentiam: ut vix respirare possem: tamen cum hisce diebus docta tua disputatio de Arthritide Medicis Cordatis omnibus maximoperè scandalosâ mihi ad manus veniret: satis ex illa perspexi & Ingenii tui dexteritatem, & verborum cum ipsa re benè penitus concinnam continuationem. Quod genus scribendi etiam maximoperè ab his, quos Natura politulô & limatulô exstruxit judiciô comendari solet. Res tamen ipsa, quantum ego conjicere possum, nondum eò rediit: ut genuinæ hujus mali causæ albo potuerint, ut vulgò dicitur, depingi lapillô: etsi de iis in foro Medicorum multum & diu discrepatum fuerit. Unde enim tot diversæ opiniones Valesci de Tarãta, Caroli Pisonis, Antonii Gvainerii, Ambrosii Paræi, aliorumq; virorũ, qui mihi testes hujus rei esse possunt omni exceptione majores? Ut ideò omninò felix terq; quaterq; sit,

— — Qui potuit rerum cognoscere causas.

Et hoc est, de quo suo jam tempore conqvestus est Vates ille Sulmonensis:

Tollere nodosum nescit medicina podagram.

Interim tamen esto bono animô & forti, &, ut facis bonæ spei plenus, te in hac re tam ardua & difficili Virum præsta. Ita enim futurum est: ut & DEO & Proximo aliquando possis inservire: & exinde fructibus omni melle & saccharo dulcioribus tibi liceat frui. Vale. Raptim Lugd. Batav. XXX. Junii, A. O. R. M. DC. LXXXI.

